



*Comp. Franque. 15. x.*



19

Hildemarß  
Bonn 1864









*Inscriptio Puteolana.*

بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ  
الْكَافِرُونَ  
إِنَّمَا يَنْهَا  
عَنِ الْمُنْكَرِ  
إِنَّمَا يَنْهَا  
عَنِ الْمُنْكَرِ  
إِنَّمَا يَنْهَا  
عَنِ الْمُنْكَرِ  
إِنَّمَا يَنْهَا  
عَنِ الْمُنْكَرِ

*Nummus Arabicus Constantini.  
Pogonati.*



(3)

ADRIANI RELANDI  
DISSERTATIO  
DE  
MARMORIBUS  
*ARABICIS*  
*PUTEOLANIS*  
ET  
NUMMO ARABICO  
CONSTANTINI POGONATI.

**R**edit ad Te , Vir Spectatissime , serius forte quam exspectaveras , Nummus ille Tuus , sine controversia rarissimus , cuius a me explicationem petere , adeoque ad tempus aliquod tam cari pignoris usum concedere voluisti . Fateor , quum ille primo mihi offerretur , longe alios me characteres in animo meo formasse , quam nunc ex collatione Inscriptionum Puteolanarum , quas mihi cum Nummo tuo conferendas dedisti , in eo extare mihi persuadeo . Induxerant me in errorem nummi quidam Africani Arabicis literis inscripti ; quorum plurimos ichthycollae impressos & ineditos tuo beneficio (quod grata mente recordor ) possideo ; in quibus similes hisce characteres legeram , quosque proinde eosdem cum illis esse existimabam . Accedebat Kircherianum illud Alphabetum , in *Prodromo Copto cap. viii.* exhibitum , quod nummis Africanis (quales plerique Arabici sunt , qui in Belgicis Cimeliarchiis inveniuntur ) explicandis lucem sat amplam foeneratur , at huic Nummo Tuo & Inscriptionibus

A 2

tionibus

tionibus Puteolanis tenebras potius offundit, si quis illud sequendum putet, uti nos ē collatione cōmmatis Alcoranici, quod in quatuor illis Inscriptionibus legitur, manifesto didicimus. Rem itaque obscuram per aliam æque obscuram, id est, Nummum Tuum per Inscriptiones Puteolanas, explicare aggressus sum. Habe ergo succēsum laboris mei, cuius profecto me nulla ratione pœnitit, quum in scrutinio aliarum Inscriptionum, & Nummorum, addo, & librorum Charactere Cufico conscriptorum utilissimus esse possit. Sæpe numero oculis meis quatuor illas inscriptiones offerebam, ductus literarum, quales in Codicibus M. S. tis occurtere solent, observabam; verum necdum credere poteram, omnes illas esse Arabicas, quum adeo diversi essent characteres ut unius linguae illos esse fibi quisquam persuadere vix possit. Et si vel maxime mihi constaret Arabicas esse, ob defectum non vocalium tantum (quod in M. S. tis frequentissimum) sed punctorum diacriticorum, pro quorum varietate unus character sex septemve literas denotare valet, aut nullum, aut incertum inde sensum elici posse existimabam. At, quod in rebus humanis frequenter contingere solet, longe aliter evenit quam putaram. Serio enim attendens ad pri- mas voces unius cuiusque Inscriptionis, omnes ductus, licet variarent immensum, aliquid tamen vestigium earundem literarum servasse detexi, & suspicatus ab consueta & tritissima illa Mohammedanorum formula, *in nomine Dei summe Misericordis*, non incongruum posse fieri initium, deprehendi revera ab hac formula unamquamque ex iis Inscriptionibus exordium capere. Hoc detecto, non erat desperandum de reliquis: que facilis a me legi poterant, quum & formulas mihi sæpe antea lectas exhiberent, &, quod caput est, & me vehementer confirmabat, integrum comma Alcoranicum, quod cum mihi lectum alicubi putarem, ut putabam vere, in ipso Corano offendi *Surat.* III. y. 182. Tunc de lectione mea non dubitandum censui, quum eodem ordine idem hoc comma in quatuor Inscriptionibus iis invenissem. Atque ita, diligenter notatis ductuum differentiis in unaquaque Inscriptione, alphabe-

tum

(5)

tum literarum in singulis occurrentium, quantum licuit,  
paravi, & Inscriptionum illarum argumentum assecutus  
sum. En illas.

## INSCRIPTIO PRIMA

*Ex mirandis characterum ductibus expedita & ex-  
hibita typis vulgaribus Arabicis.*

*Typi in Nagyab. Reg. N. 15*

بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ  
حَمْدُهُ الرَّحِيمُ وَصَلَوةُ  
اللَّهِ عَلَيْهِ وَسَلَامُهُ عَلَى النَّبِيِّ وَصَلَوةُ  
كُلِّ نَفْسٍ فِي يَوْمِ الْمَوْتِ  
وَإِذْنَمَا تَوَذُّونَ بِأَخْرَوِكُمْ يَوْمَ الْقِيَامَةِ  
فَهُنَّ رَجُلُوا عَنِ النَّارِ وَأَخْلَقُوا بِالْجَنَّةِ فَقَدْ فَانَّ  
أَزْوَاجُهُمْ أَلْذِيَّةُ أَلْذِيَّةُ إِلَّا مِنْتَاعُ الْغَرُورِ هُنَّ قَبِيرُ  
مَمْتُومُ دُنْ أَبْنَ سَعَادَةٍ تَوْفَيْ لِيْلَةُ الْجَمَعَةِ  
رِبْعُ شَعْرَبِرْ جُومُ مِنْ شَهْرِ رَمَضَانَ  
بِسْلَةُ أَذْنِ وَسَبِيعَيْنِ وَأَرْبِعَيْمَا—  
يَةُ وَهُوَ يَشَهِّدُ أَنْ لَا إِلَهَ إِلَّا  
لَهُ إِلَّا اللَّهُ وَحْدَهُ لَا شَرِّ  
يَكُ لَهُ وَإِنْ مَمْتُومًا عَبِينَهُ وَرَ—  
سَوْلَةُ صَلَوةُ اللَّهِ عَلَيْهِ وَعَلَيْهِ أَلْهُ وَسَلَامُ تَسْلِيمَهَا  
وَلَلَّهِ الْعَزَّةُ وَإِلَيْهِ الْبَقَا وَعَلَيْهِ خَلْقَهُ كَتَبَ الْفَتْنَاهُ وَفِي  
رَسُولِهِ النَّبِيِّ وَعَنْهُ قَلْهُ وَنَبَأَ عَظِيمَهَا . . . . .

A 3

Ea-

## Eadem Latine.

*In nomine Dei summe misericordis. Benedicat Deus Propheta Mohammedi & genti ejus, & servet illos. Omni homini (Nota hæc & sequentia verba usque ad illa Hoc est sepulcrum continere commissa 182. Capitis III. in Alcorano: mirum ni ὁ πλάνος ea, ut multa alia ex sacro Codice hauserit Hebr. ix. 27. ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἀπαξ ἀπογενέντι μετὰ δὲ τοῦ θεοῦ κείσις) necessitas est imposita gustandi mortem: & nos (hoc modo Deus loquens in Corano inducitur) reddemus mercedem vestram in die resurrectionis. Quicunque autem sejunctus fuerit ab igne infernali & intraverit Paradisum cœlestem felix est (Elif in illo redundat): non enim hæc vita aliud quid est quam fructu rerum, quæ nos in errorem ducunt. Hoc est sepulcrum Mohammedis filii (καὶ videtur superfluum) Saadi qui obiit noctu diei Veneris, qui erat quartus & decimus mensis Ramadan, anno quadringentesimo septuagesimo & secundo (in ١٤٣٧ videtur εἰδεῖν deficere: fuit autem is annus aeræ Christianæ 1079) Ille vero confessus fuit non esse Deum nisi Deum (i. e. Mohammedanæ religioni erat addictus, cuius hoc symbolum est, quo se a Christianis, Judæis & Gentibus distinguunt, quos omnes opinantur plurem uno Deum colere.) Unum illum, cui non est socius, & Mohammedem esse servum & Legatum ejus, cui propitius sit Deus, ut & genti ejus, & salutem omnimodam largiatur. Deo autem convenit potentia & aternitas, verum creaturis ejus præscriptus est interitus. Impletat Deus*

(7)

*Deus predictiones Propheta suo factas. Dic (est  
phrasis Alcorani) hæc est annuntiatio magna....  
(Paucula, quæ sequuntur, nondum satis mihi li-  
quent, quare omitto.)*

Memorabilis est hæc prima Inscriptio vel ob hanc causam, quod lucem fœneretur *Marmoribus Panormitanis*, (cujus rei mihi indicium fecit Vir Clarissimus, *Henricus Sikius*, cui & perititia Linguarum Orientalium, & studio has literas promovendi parem, ut puto, orbis Christianus non habet) quæ codem aut certe non multum diverso charactere exarata esse specimen illud ostendit, quod *Fazellus* exhibet lib. viii. c. i. de reb. *Siculis*. Et fuse examinat *Marianus Valguarnera Antiq. Panorm.* p. 447. Quorum Inscriptiones, quamvistum a Fazello, tum ab aliis, falso habitæ sint pro antiquis Chaldaicis, (unde Panormum ab Hebreis, vivente Esauo, filio Isaaci, conditam anno mundi 3360 probare voluerunt; id enim in iis legere si bi videbantur) satis ostendunt, si cum marmore hoc Puteolano primo conferantur, eandem se etatem agnosce-re, & characteres esse Arabicos, a Saracenis confignatos, quom Sicilia potirentur, quod in ea tempora incidit, quibus prima hæc inscriptio formata est, quæ annum aerae nostræ 1079. præfert, quando in Sicilia, Apulia & Calabria, orisque aliis maritimis Italix multos Saracenos fuisse, a quibus hæc Marmora signata sunt, memoriaz proditum est.

## INSCRIPTIO SECUNDA.

*Extricata, typis communibus Arabicis expressa &*

*Latinitate donata.*

بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ وَصَلَوةُ

اللَّهِ عَلَيْ مُحَمَّدٍ وَآلِهِ وَسَلَامٍ

كُلُّ نَفْسٍ نَاجِيَةٌ إِلَّا مَوْتٌ وَإِذْمَاءٌ

ذُرُوفُنَّ أَخْرُوكَمْ يَوْمَ الْقِيَامَةِ

A 4

فَهَنَّ

(8)

فمن زدح عن النَّارِ وإنْ خلَ  
الجنة فلن فاز وما العيَاة (الدنيا)  
لا ممتع الغرور هنَا قبرنا  
زينب بنت عبَّى (المادر)  
توفيت في أحد عشر من شهر  
شعبان يوم (الحادي عشر)  
سنة وسبعين وخمس صافية  
وهي تشهد أن لا إله إلا الله

Latine.

*In nomine Dei summe misericordis. Benedicat  
Deus Mohammedi & genti ejus, & felicitatem  
iis largiatur. Omni homini certissime moriendum  
est: nos vero reddemus vobis mercedem in die re-  
surrectionis. Quicunque autem liber erit ab igne  
infernali & intraverit Paradisum, beatus erit:  
nil enim vita hujus mundi est nisi fruitio seductionis.  
Hoc est sepulcrum nostrum (forte illud لـ nostrum  
est superfluum) Zeineb filia Abdolmanour obiit  
undecimo die mensis Schaban qui primus erat heb-  
domada, anno quingentesimo septuagesimo & sexto  
(id est, anno aeræ Christianæ 1180.) Illa autem  
confessa est non esse Deum præter Deum id est, Mo-  
hammedanæ religioni erat addicta, cuius hoc sym-  
bolum est.*

IN-

(9)

## INSCRIPTIO TERTIA.

*Expedita, literis vulgaribus Arabicis reddita,  
et Latine expressa.*

Lanc. N. 23

بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ  
حَمْدُ اللَّهِ عَلَيْهِ الْكَبِيرُ  
مُحَمَّدُ رَسُولُ اللَّهِ وَسَلَامٌ تَسْلِيمٌ  
كُلُّ نَفْسٍ نَّارِيقَةٌ (الْمَوْتُ) وَإِنَّمَا تَذَوَّرُ  
فَوْنَ أَخْوَرَكُمْ يَوْمَ الْقِيَامَةِ  
هَذَا قَبْرُ الْأَصْمَامِ يَعْلَمُ بْنُ عَلَيْهِ  
أَبُو الْبَنِينَ تَوَفَّى فِي (الْعَشَرِينَ) يَوْمًا  
شَهْرَ رَمَضَانَ سَنَةَ سَعْدَ وَسَعْدَيْنَ  
وَخَمْسَ مِسَايِّدَ

Latine.

*In nomine Dei, summe misericordis. Benedicat  
Deus Mohammedi et genti ejus, omnimodamque  
salutem iis impertiat. Unicuique incumbit necessi-  
tas moriendi, et nos sane reddemus mercedem  
vestram in die novissimo. Hoc est sepulcrum Anti-  
stitis Fahja, filii Ali Abu Alp, qui obiit die vi-  
gesimo mensis Ramadan, anni quingentesimi, sep-  
tuagesimi et sexti. Id est, aera Christianae 1180.*

A 5

IN.

(10)

## INSCRIPTIO QUARTA.

Exhibita Arabice & Latine.

بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ وَصَلَّى اللَّهُ عَلَيْهِ وَسَلَّمَ النَّبِيِّ وَالْأَئْمَانَ وَسَلَّمَ كُلَّ نُفْسٍ فِي أَيْقَةِ الْمَوْتِ وَإِنَّمَا تَوْفِيقَ الْخُرُوكَ يَوْمَ الْقِيَامَةِ فَمَنْ زَدَ حِلْمًا عَنِ النَّارِ وَأَنْتَلَ الْجَنَّةَ فَقَدْ فَازَ وَمَا الْحَيَاةُ إِلَّا مُتَاعٌ الْغَرُورُ هُنَّ قَبْرُ الشَّيْخِ الْفَقِيرِ الْأَعْقَلِ أَهْمَنْ بْنُ سَعْدِ بْنِ أَبِي الْمَالِكِ الْعَزِيزِ الْفَقِيرِ الَّذِي رَبَّهُ تَوْفِيقُ رَحْمَةِ اللَّهِ وَرَحْمَةِ مَنْ مَعَهُ لَهُ بِلِ مَغْفِرَةٌ فِي لَيْلَةِ الْخَمِيسِ الْثَّلَاثَ بِقِيَةٍ مِنْ نَيِّنِ الْقَعْدَةِ وَسَنَةِ الْأَخْرَى عَشَرَةً وَارْبِعِمَايِّةٍ

Latine.

In nomine Dei summe misericordis. Benedicat Deus Mohammedi Propheta & genti ejus & salutem iis largiatur. Omni homini certo moriendum est: & nos reddemus unicuique mercedem in die novissimo. Quicunque autem sejunctus fuerit ab igne infernali & Paradisum intraverit, vere felix est: nihil enim est vita hujus mundi, nisi fructus inductionis in errorem. Hoc est sepulcrum Gubernatoris Furi periti, sapientis (ita verto, suspicor enim Elif redundare: doctiores viderint) Ahmedis, Filii Saad, filii Regis Potentissimi, qui pauperis ad instar Dei gratiam petit. Obiit ille, misereatur ejus Deus & misereatur illius, qui pro illo veniam peccatorum a Deo rogat, noctu illa que inter diem Mercurii & Jovis erat (propr. feriae quintae) quurr: adhuc tres dies restarent ex mense Dilkaadi, anno quadringentesimo & undecimo. Id est, aeræ Christianæ 1020.

Atque



Atque ita argumentum habes quatuor harum Inscriptio-  
num, quarum quæ ordine tertia est stupendum *καλλι-  
γραφίας* Arabicæ testimonium est. Vides eas ab Editore  
non esse dispositas juxta ordinem temporis quum quarta  
antiquissima sit, dein sequuntur prima & secunda, & ultima  
esse debeat, quæ tertia collocatur. Miro literarum du-  
ctus, lineas non desinentes in vocibus integris, ut hodie  
faciunt Arabes, discriminem scriptionis in singulis, sic ut  
ex qualibet alphabetum singulare formari possit, occa-  
sionem, qua Puteolishæc Mohammedanorum monumen-  
ta erecta sint, aliaque majoris operæ & indaginis fusius  
explicare hoc tempore in animum non induxi, ne me  
Nummi tui oblitum credas, ob quem has Inscriptiones  
mihi examinandas dedisti. Illud vero in antecessum te  
monitum velim, non tam firmo talo me nisi in Nummi  
Tui Inscriptione explicanda atque in monumentis Puteola-  
nis, quum & pauciores voces, & literæ quædam erasæ sint,  
nec de scriptura Arabicæ illius ætatis aliquid certi nobis su-  
persit. Tentandum tamen aliquid est, nec si aberrem  
errores mihi meos indicari ægre feram; quin latabor poti-  
us, si ex occasione mearum meditationum, licet non per  
omnia probentur, aliqui emolumenti accedat rei litera-  
riæ. Una ergo nummi facies, qua VICTORIA CON-  
STANTINI AUG. legitur; quæque victoriae imaginem,  
at rudem illam & spirantem fæculi sui barbariem præfert  
una cum literis S I Z. *Siscia*, in Pannonia sitæ, ubi percussus  
est in officina monetaria, numero Z. *Septima*, dubium  
plane spectatorem reddit, sub quo Constantino culus sit.  
Altera facies literis Arabicis ornata ad tempora posteriorum  
Constantinorum nos dicit; quum vix videatur probabile  
nummum sub prioribus Constantiniis (quibus cum  
Saracenis res non fuit) cusum, aut Sisciae literis Arabicis  
insignitum fuisse. Ego ad Constantini Pogonati tempo-  
ra hunc nummum refero, existimoque victoriæ innui  
quam reportavit de Mohammedanis circa annum Hizrae  
54. quo Constantinopolis eorum obsidione liberata, &  
illi in turpem fugam conjecti tandem supplices pacem pe-  
tere coacti sunt. Ita voluit Constantinus ipsos Moham-  
me-

medanos suo sermone opprobrium suum legere, quum hunc Nummum conspicerent. In literis Arabicis, (licet injuria temporis multæ erasæ sint, alia confusæ) quantum conjicere licuit, haec verba lego

الملک العالی Imperatori Sapientissimo Ju-

stissimo (quo titulo superbire solebant Reges orientis; unde in Nummis legimus Αρσάν δικαίος & Nūchirrāwān Justiniano coævus καὶ ἐξοχὴν Rex Justissimus dictus est) Ornamento mundi. Linea transversa ad dextram has voces videtur exhibere فرداً (سلام) quod notaret Islamismi fugam. Solent Mohammedani, præente Alcorano, hoc nomine se appellare. Verum, quum de linea quæ hanc proxime sequitur & totum nummum ambire videtur, certi nihil affirmare posim, minus confidenter de hac loquor & forte tota via aberro. Alias Islamismi vox videretur edocere posse, non ante Mohammedis ætatem hunc Nummum esse percussum. Quam insignis illa Constantini victoria fuerit, licet siletio eam involvere soleant Scriptores, quos videre mihi licuit, Orientales, ex verbis Georgii Cedreni licebit colligere, quæ in Histor. Compend. Tomo octavo Corporis Histor. Byzantine leguntur pag. 437. Τοῦ δὲ ἐτεί τῶν Ιερουάκην σβλ̄ον ἐλθὼν προσώπουνταν ἐν τοῖς Θρησκείαις μέρεσιν ἀπό τε τῷ ἐβδόμῳ μέχρι τῆς Κυκλοβίσι καὶ κατει πᾶσαν ιωνέσσαν πόλεμον ἐνσχετεῖσθαι δὲ πρῶτη ἡντι ἐσπέραντα τε βασικιολίσις & Χρυσῆς πόρτης ἡντι τῆς κυκλοβίσι, δὲ μηδὲ Απεργίας εἰς σεπτεμβρίον. καὶ ὑπερέψαντες ἐν Κύδιων πάντα παρεχλαμβάνοντα καὶ κειμάζειν ἔκει. καὶ κατὰ ἕαρ ὅμοιας ἐπολέμειν μετὰ τῶν Χελιπανῶν ἐπὶ ἑταῖρον. τῇ βοηθείᾳ δὲ τῆς θεοῦ καὶ τῆς θεοτόκου πλήθος πολὺ διπλασιότες, μετ' αἰχνήντων μεγάλης υπέρεψαν. ἐκπορεύειν δὲ ὁ τοιότητος σόλον ἐπὶ τῷ μέρῃ τῆς Σολαίς ωστὸν κειμεῖσις ζάλις καταπιγμένον συνιερεύεις ὀλοκλήρως ὥλετο. Quæ Latine sic sonant: Anno autem quinto classis hostium qui Deo bellum movetant, appulit ad partes Thracia, ab Hebdomo usque ad Cyclobium se extendens (atque ita spatium septem mil-

millium passuum occupans) Acriter vero singulis diebus pugnatum est a diluculo ad vesperam ab altera porta brachiolo usque ad Cyclobium, inde ab Aprili ad Septembrem: & reversè (hostes) Cyzicum occuparunt hyemantque ibidem; & verno tempore rursus Christianos adorti ita per septennium pugnarunt. At auxilio Divini Numinis & Deipara Virginis tandem magna suorum vi deleta, summo cum dedecore aufugerunt: & classis ipsa ad partes Sylai trajiciens hyberna tempestate & procellis afflita tota periit. \* Quæ profecto demonstrant summo jure tam illustrem de Gente Christianis per tot annos infesta victo-

\* Zonaras, annalium Tome III. pag. 73. ed. Basil. & Theophanes, eodem fere modo rerum narrant, Hagarenos scilicet (ita per contemptum Mohammedanos appellabant, qui cum se Saracenos, id est Orientales, dicerent, ignaris a Saro nomen sibi dare videbantur quare Gæculi ab Hogar serva eos dixerunt; quamvis & jure quidam Arabum, Hagareni dici potuerint ab Hagar id est Petra Urbe & regione, quæ vulgo Arabia Petraea a metropoli Petra, non a faxis aut rupibus dicitur) Byzantium esse aggressos, Imperatoreisque Constantinum navalی prelio cum iis decerata donec pluribus hostiis navibus igne Graco (qui tum demum a Callinico homine Syro inventus est,) exustis, cum pudore se conjicerent in fugam: reliquam vero portionem clas̄is tempestate exorta aut fluctibus mersam aut scopulis tuissim illisam; & qui poststantam cladem adhuc essent superstites a duce Cibyraeotarum deletos, ita ut Princeps Saracenorum Mabreas (is est, quem Mohammedani Moaviam معاویہ appellavit filium سفیان ابو حرب) Hareb, filii ابی هرثے Ommia, unde Dynastia Ommiadum nomen accepit) pacem petere coactus sit & tria aureorum millia quoannis per triginta annorum intervallum Romanis polliceri. Summam hanc pecunia non ad τρεῖς χιλιάδας, ut Zonaras, sed χιλιάδας τρές Theophanes, quæ portentosa vis auri est, at Cedrenus χιλιάδας l. extendit. Nicephorus, Patriarcha Constantinopolitanus in Breviario historico, quod insertum est Tome II. Corporis Historiarum Byzantinæ, pag. 21. hanc eandem vicioriam narrans, ducem Saracenorum خالد بن شاھن Chalen appellat, quem Anastasius Bibliothecarius Hist. Eccl. p. 108. Fadallam Fratorem Arabum dicit: quo nomine فضال فادلة notus est قىچى Cadi

victoriā nummo esse inscriptam. Ceterum, id quod manu dextra præfert imago victoriæ Codicem esse Euangelii existimo, quandoquidem in Nummis aliorum quoque Constantinorum victoriæ cum Cruce, conspi- ciuntur; quo Symbolo innuere voluerunt, fidem Euangelii triumphare de superstitione Mohammedica, vel Dei aut Christi Crucifixi favore & ope se triumphum esse consecutos. Quod finistra manu tenet, & supra librum aliquo modo emicat, pars sciponis sit, aut si mavis, gladii vel pugionis: non enim hac parte sat integer Nummus est ut liquido id constare possit. Atque ita videor, Amplissime Vir, aliquo modo satisfecisse desiderio tuo, qui tum Inscriptionem hujus Nummitum quid sibi vellent monimenta illa Puteolana me petieras. Id solum addam, mihi dum in enodandis hisce Characteribus versabar, saepissime in mentem venisse mysticam illam scripturam, quam Manus Cœlestis parieti inscripsit, convivium cum suis celebrante Belzazaro. Simili enim modo intricatas, & artificiosis simul ac obscuris ductibus implicitas fuisse literas existimo quas sapientes Chaldæorum enodare non poterant, Daniel autem, Deo indice, poterat facilime uti scriptum extat *Dan. 5. 25.* & seqq. Nec enim credibile est miros tantum & nulli mortalium cognitos cha- racteres

*Cadi, Index Moaviae*, ut loquuntur Arabes: qui Constantinopolij oppugnatam quidem vivente Moavia anno Hizra, sive fugæ Mohammedicæ 52, id est, aera Christianæ 672, sed sub auspicio Filii ejus  Jezidi mentorant. Baronius hanc victoriā & ini- tium subsecutā pacis referat ad annum aera Christianæ 676. Imperii Constantini nonum: quem ab ineunte ejus Imperio vexaverant Saraceni. Lubet etiam addere verba Joannis Baptiste Egnatii, qui bus hanc victoriā tradidit: ita habent. *Meliore orbis fato Constantinus imperium exceptit, qui maximus natus reliquo a patre Byzantium, ut imperium administraret, auditæ ejus morte, in Siciliam venit ul- susque Mexicum tyrannum, & eadis paterna consilio bellum adver- sus Saracenos septem annos terra marique feliciter gestit. Fatigatè enim bello maritimo Arabes quod Cyzico a se capto, Byzantio singulis astutis inferebant maxime ignis miraculo territi, qui sub aqua ar- deret (Callinici inventum) tempestate etiam gravi oppressi fere omnes perire. Nec terra felicius res eorum administrata: Vills enim und- acie XXX. suorum millia amiserunt.*

raacteres fuisse : quia et si Daniel dixisset, illa litera M, illa N, illa P est, profecto negassent sapientes & fingi a Daniele illud sine certa ratione statim regessissent. Debuit itaque convicisse illos Daniel de veritate suæ Lectionis & ostendere illos ductus revera has vel illas literas esse ipfis usitatas, sed quæ ita erant implicitæ & intricatæ, ut eas Chaldaei non agnoscerent. Plane uti has Inscriptiones Puteolanas multi Arabicæ linguae non rudes pro Arabicis non agnoverunt (& periculum faciat unusquisque Arabicæ linguae gnarus, illos enim obtestor) at postmodum, ubi textum Coranicum in iis comprehensum iis ostendi, & literas easdem sœpe recurrentes, aliaque, explicui, statim agnoverunt. Specimen literarum Græcarum simili modo intricatarum exhibet Turco Græcia Martini Crusii passim in subscriptionibus Literarum. Ab sit, me existimare, Scripturam illam, a Daniele explanatam, eodem modo fuisse implicitam. Non eandem sed similem dico: variis enim modis id præstant Orientales, ut illi sciunt qui titulos aliquos librorum M.S.S. Orientalium viderunt. Nec illud quoque volo, ac si Daniel sagacitate quadam sola humana & industria illos abstrusos literarum ductus enodaverit, sed instinctum Divinum lubens agnosco, qui, quod tectum erat Chaldaeorum Sapientibus, Danieli indicare voluit, ut hinc gloria Divini nominis & fama Danielis propagaretur. Vale, Vir Amplissime & me favore tuo complectere. Scribebam Trajecti Batavorum. Ipsiis Kal. Octob.

cic ci cc iv.

Pom.

Pompejus Sarnelli in Libro Italico, cui nomén dedit,  
*Guida de Forestieri* edito Neapoli A. 1697.  
 pag. 64. hæc habet

*de Inscriptionibus Puteolanis.*

**T**rentacinque passi lontano dal seggio della Nobilità di Pozzoli in un muro della casa hoggi di Giovanna Calzola si vedon fabrèi quattro marmi di circa tre palmi d'altezza, e poco men di larghezza, con iscrizioni in rilievo di caratteri Orientali, ciascuno differente dall' altro, de' quali non essendosi fin' hora veduta interpretazione alcuna, ho procurato col favore del Signor Governatore di detta Città D. Giovanni Battista Villareale, e Gamboa di farne le copie.

Latine.

**T**RIGINTA QUINTA PASSIBUS ULTRA LOCUM, ubi sedes est Nobilitatis Puteolanae, quatuor marmora inveniuntur in pariete aedium Joannæ Calzolæ, tres palmas alta & latitudinem habentia paulo minorem, præferentia Inscriptiones excisas, quarum characteres Orientales sunt, ita tamen ut unius literæ ab alia differant: quarum cum hactenus nullam Interpretationem nancisci potuerim, bona cum venia D. Joannis Baptista de Villereal & Gamboa, Praefecti hujus urbis, illas describi curavi.

F I N I S.









D: M 792

**ULB Halle**

001 346 857

3/1

